

illo uel illis iudex ire tenebitur et ei citator refundet expensas, eo, quod contempta auctoritate regalis priuilegii, sibi cogniti, irrequisito iudice ciuitatis, fatigauit eum frustra laboribus et expensis. Ciues autem liberam habeant undecumque uoluerint eligendi facultatem iudicem ciuitatis nobis presentandum, et mutandi eundem annuatim pro sue arbitrio uoluntatis. Item si quis de ciuitate sine herede decesserit, de rebus suis mobilibus liberam habeat disponendi cuicumque uoluerit facultatem. Res uero immobiles, domos, curiam, uineas, terras et hedificia, suorum concinium habito consilio, uxori sue uel alicui cognatorum suorum relinquat, ita tamen, quod nec per ipsum, nec per uxorem, nec per cognatos a iurisdiccione ciuitatis possit alienari, uel eximi, uel auelli. Item, si quis intestate decesserit et nec uxorem, nec filios, nec cognatos habuerit; due partes rerum suarum per uiros fide dignos, consilio ciuium ad hoc deputatos, pauperibus et ecclesie eiusdem ciuitatis distribuantur; tertia uero pars in utilitatem ciuitatis reseruetur. Item statuimus, quod in eadem ciuitate forum sollempne duobus diebus in hebdomada, uidelicet die lune et die Jouis celebretur, et preterea forum cottidianum cottidie habeatur. Uniuersitas uero ciuitatis supradicte nobis tenetur ad seruitia infra-scripta. Cum enim Rex Hungarie expeditionem ad partes maritimas, uel Carinthiam, uel Austriam facere uoluerit, dicti ciues decem milites mittere teneantur, cum armis militaribus apparatus. Preterea domino regi, quando ipsum illuc ire contigerit, debent dare pro prandio duodecim boues, mille panes, quatuor tunellas uini. Duci autem Totius Sclauonie, si sit de prole regia, medietatem predictorum dare tenentur. Bano uero pro tempore constituto, non tamen Vicebano, nihil aliud soluere, nisi in principio introitus sui banatus unum bouem, centum panes, tunellam unam uini, semel quamdiu durauerit in banatu. Sane ab omnibus istis seruitiis usque quinquennium erunt liberi et immunes. Transacto quinquennio tenebuntur. Item, iidem ciues uoluntate spontanea super se assumpserunt, quod expensis propriis dictum montem Grech muro firmissimo communirent. Ad sustentationem autem hospitum in predicto monte habitantium, dedimus terram circa eundem montem Grech, statuantes eam per dilectum et fidelem nostrum Dionisium banum Totius Sclauonie eisdem hospitibus, sub certis metis et distinctis perpetuo possidendam. Cuius terre mete sic uadunt. Prima meta est in portu Sawe, qui Kyraltrewy dicitur, iuxta magnam uiam, et per eandem tendit usque ad riuum, qui Zoysca dicitur, quem riuum transit per pontem, deinde per eandem uiam tendit uersus aquilonem, transiens aquam, que Mlaka dicitur, et peruenit ad monticulum, iuxta quem est meta terrea, que diuidit terram populorum regis a parte orientali. Deinde transiens minorem Mlakam, peruenit ad magnam uiam, que uulgo Ettewen dicitur, per quam ueniens peruenit ad riuum Cyrkuenich, ibi est pons. Hinc superius per eundem riuum iuxta montem Grech uadit directe uersus aquilonem metatim, tendens ad fontem, qui dicitur Cubulkut, iuxta quem est meta terrea. A quo superius per riuulum Cyrkuenich uersus aquilonem peruenit ad riuulum, qui dicitur Zopotnika. Hinc transiens monticulum cadit in quandam uallem, per quam transit in riuulum, qui dicitur Lomzkypotok. Deinde ascendit ad metam Capituli Zagrabiensis. Altera est Hospitum de Grech, Tercia filiorum Dobcha de genere Aga (Acha). Deinde procedit ad cacumen eiusdem montis, uocabulo Medwenicha uersus occidentem et peruenit ad metam filiorum Micula, que Plestiwicha dicitur, iuxta quam est meta terrea. Deinde transcendit a cacumine eiusdem montis uersus partem meridionalem, metatim ad arborem casta-